



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui colonorum flagella defendunt. Ixvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

vt iunior virgis cæsus, tanti criminis reus, nunquam officium ecclesiasticum excipiat. Si verò iam ordinatus in hoc facinore fuerit deprehensus, nominis ipsius dignitate priuetur: cui sufficere potest pro actus sui leuitate, impleta pœnitentiæ satisfactione, sola communio.

De illis qui de ministerio Ecclesiæ aliquid furati fuerint. Cap. LXV.

Si aliquis de ministerio Ecclesiæ quolibet modo aliquid furatus fuerit, VII. annos pœniteat. *Ex pœnitentiæ Romano.*

De monachis si de furto infamati fuerint, quomodo se expurgare debeant. Cap. LXVI.

Sæpe contingit, vt in monasteriis monachorum furta perpetrentur. Idcirco statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus se expurgare debuerint, Missa ab abbate celebretur, vel ab aliquo præsentibus fratribus, & sic expleta Missa, omnes communicent in hæc verba: Corpus domini sit mihi ad probationem hodie. *Ex cõcil. Vorm. cap. 10.*

De illis qui colonorum flagella defendunt. Caput LXVII.

Decreuit sancta synodus, vt episcopus ac ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellare cum virgis potestatem habeant, propter metum aliorum, vt ipsi criminosi corrigantur, vt vel inuiti pœnitentiam agant, ne æternaliter pereant. Si verò seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam exinde exercere voluerint, aut eosdem colonos ne distringantur defendere præsumpserint, sciant se excommunicationis ecclesiasticæ sententia feriendos. *Ex concil. Elibert. cap. 9.*

De episcopis qui apud Romanam sedem accusati fuerant, quod cum excommunicatis communicarent. Caput LXVIII.

Regno Cõradi piissimi & Christianissimi regis quinto, cõgregata est sancta generalis synodus apud Altheim in pago Rethia, præsentem videlicet domini Ioannis papæ apocrisario sanctæ Ortensis Ecclesiæ Petro venerabili episcopo. Hoc quatenus aliquo modo diabolica semina in nostris partibus exorta extirpare, & nefandissimas *Ex cõcil. apud Altheim habito cui interfuit Couradus rex.*